

Y b
1741



(178. 2.575^b)

VI.4^o = 93^a =





ORATIO

DE

NOVÆ ILLUST. GOTHANI GYMNASII
CONSTITUTIONIS
ORIGINE, NECESSITATE,
ET UTILITATE.

In
SOLENNI ISTIUS PUBLICA-
tionis Panegyri.

V. Iduum Janua:

Anno CHRISTI. clō. Is. cvij.

Habita

â M. ANDREA VVILKIO Rectore.


*Cum Gratia ac Privilegio Electorali, Ducum Saxo-
nia, ac Senatus Reip. Erfurtensis.*

JENÆ Typis Johannis VVeidneri.

Impensis Henrici Birnstili Bibliopole Erfurtensis.






REVERENDO, CLARISS.
AMPLISS. Q: ET LITTERATISS. VIRIS
Gymnasii GOTHANI inspectoribus
digniss.

M. JOHAN. HELDERO Superintendent.,
M. JOHAN. GOEZIO Municipii Praefecto,
JOH. MATTENBERGIO, M.D. & Reip. S. Cos.,
M. SEBASTIANO LEONHARTO,
nunc Illustriss. P.P. Sax. è Vectigalibus redituum
Erfurti Antistiti,

JOHANN: THILONI Senatori,

DD., Fautorib., & Amicis suis

S. D. P.



QUI CUIUSDAM PRAE
caeteris diei volunt posteros
meminisse, si in Annalium
elenchos istum non inserunt,
illustrant certè, & nobilitant
insignis nota alicujus adjectione. PRIMOS
GERMANORUM, quod Annales haberent
plane nullos, nec tanti facerent historias, si
quid esset fortiter gestum, rythmis, autor

A ij A venti

Aventinus est, non citra melos, licet rusticum, concinnatis posteritati tradidisse. DRUIDAE Galliae Sacerdotes multis versuum millibus sacra, & ritus alii aliis iuverunt veluti per manus consecratum. In consuetudine, moreq; illud fuisse Graecis positum legimus, si quem ob victoriam ab hostibus reportatam album semper, tanquam ἐπὶ παθεῖαι, cuperent diem, eò coronatos omnes, atq; ostantes iuisse. Quò Carthago occidit eversa, suis eum memorandum Romani fecerunt communibus Civium restauratis convivis. Et verò quid illa omnium propè Gentium ac populorum λυχνόκαϊαι accensa faces, flores ad coronamenta compitorum, laureatae fores, de quibus Satyricus:

Cuncta nitent, longòs erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis,

quid, inquam, aliud, quàm dierum sive publice, sive privatim letarum insignia? Sunt quoq; illa-ipsa Januarii V. Idus, quibus renatum quasi ex noviter introducta Constitutione hoc Gymnasium est, posteris omninò memoran-

moranda. *Qui autem queant melius, quam*
Vestris, INSPECTORES, nominibus, istis-
ipsis Idib. tanquam ex Phœniceo colore, &
cedro splendidioribus notis, per meam hanc
Orationem, adjectis? Vos enim Vos, ò decus
nostrum! de Illustriss. HEROÏS nostri man-
dato istam introduxistis, publicastis, nobis sti-
pulationis sacramento injunxistis Constituti-
onem. Vestrà hanc ego præmissi autoritate
Panegyriin: Ferte quæso, sed benevolè, &
amicè, Famæ, atq; Gloria vestra templo quasi
consecratam, & valete diu, faustiter ad DEI
gloriam, ad Reipub. salutem feliciter. Gothæ
in Museo Augustiniano ipsis Idib. Junii,
Anno cId. Id. CVII.

VV. R. & Cl. deditus

UVILKIUS.

A 3

ORA-



O R A T I O.



E NOVA ILLUSTRIS GYMNASII hujus CONSTITUTIONE verba facturus; AUDITORES, reverentiâ, dignitateq; & amplitudine, simul & humanitate clarissimi, & prestantissimi, D. Superintendens, Pastores, Praefecte, Praeses, Scholarcha, Coss; Senatores, & Collegae omnes mihi quam plurimum honorandi, tuq; ô florentiss; juvenum, adolescentum, puerorum corona, discipuli filiorum instar dilecti; Verba, inquam, de novâ Gymnasij hujus Illustr: Constitutione facturus, utinam, atq; utinam eâ possim Orationis vi, verborum impetu, rerum vehementiâ, ut sicuti omnium Graecorum longè sapientissimus Orpheus feras, & arbores; rupes, & flumina Amphion ad insequendum Lyrâ impulisse à fabularum architectis, & magistris dicuntur: Ita eorum ego demulceam, atq; permoveam animos, quos nova haec concernit constitutio, quo quae lata in illâ, atq; posita LL. sunt, libenter admittant, placidè ferant, equo, & debito jure exequantur.

Cum enim isthaec constitutio non paucis novitas, quae levitatis mater, quibusdam LL. Veterum antiquatio, quae audacia filia, nonnullis Scholae, & frequentiae dissipationis omen, quod superstitionis soror, aliis deniq; in Magistros, & Praeceptores injuria, quae acris reprehensio est, esse videatur: Ecqui non Orphei harmoniam, & modos Amphionis
non

non expetam mihi, non exoptem, quorum suavitate, qui
novitatis, levitatisque crimine perturbantur, mulceam;
ê suâ in nostram exsuscitem sententiam, qui antiquationis,
& audaciæ opinione offenduntur: Eorundemq; consonantiâ
dissonantem illorû expellam discordiam, & inconcinnitatem,
qui Scholæ, ac frequentie dissipationis augurio, atq; in Præcepto-
res, Magistrosq; injuriæ prætextu, refragantur, & obsistunt;
ut ex plurium adversantium mente unus fiat animus, & sen-
sus, quo DEI laus, & gloria celebretur, Illustriss. P. ac D.
D. IOHAN. CASIMIRI Ducis Saxonie &c. Everge-
ta, & nutritoris nostri clementiss. illæsa habeatur autoritas,
Ecclesiæ juvetur salus, Scholæ incrementum, & celebritas
propagetur, illorum omnium integra conservetur dignitas, &
existimatio, quorum magni quid interest, novæ constitu-
tionis vigorem esse, ut cum Cælio Rhodigino dicam, in-
eluibilem.

Quemadmodum autem quod apud Tragicorum princi-
pem matanda in Aulide Iphigenia negata sibi in dicendo Or-
phei facultate non poterat, adhibitis in subsidium ad exor-
nandum pro vitâ suâ parentem lacrimis attentat: Ita hîc ego,
quod vi, quod impetû, quod vehementiâ nequeo, suasionum
blandimentis conabor: Veterum LL. antiquationis, novi-
tatisque crimen Legumlatoris tollam autoritate: Necessi-
tatis, utilitatisq; telo dissipationis Scholæ avertam auguri-
um: In Præceptores injuriæ prætextum cum honestate con-
junctæ æquitatis, dibuam argumentò: Defectûs, si qui sunt,
explebo: amputabo, si quid nimium, & in excessu. Omnia
tam accuratè, tam cautè, & circumspectè omnia ostendam de-
liberata, ut nihil hîc loci audaciæ, temeritatiq;, & levitati
nihil, nihil confusioi relictum; sed recta dijudicandarum
LL. ratione, summâ prudentiâ, & bono ordine omnia esse
constituta.

constituta quilibet sit utraq, quod ajunt, manu deprehensurus,
adeo, ut hac ipsa constitutio ex Pindaro τῆς Ἐγυπίας ἀσφα-
λῆς Βάθρον τε καὶ ψυχῆ πολιτείας, ex Isocrate discipline fun-
damentum, & Politia Scholastica anima jure, ut mihi qui-
dem videtur, possit appellari; si eadem non porticus tantum
Gymnafii impleantur, scripta suspendatur in tabulis; sed
etiam eidem obtemperetur. Nam longè utilius statuen-
dum, leges omninò non ferre, quàm latis semel qui
obtemperet, neminem reperiri.

Arduum hoc equidem mihi, tricosumq, & difficile, nec
ebur istud esse sentio, è quò statuam Jovis olympii Phi-
dias aliquis effingat. Sive enim ingenii mei viribus quid
possum, quas non planè mihi nullas esse puto; has Anacharsis
retundit autoritas, qui Solonem hòc nomine risit, quod in-
jurias sese civium, & cupiditates literis, & LL coercere
novis posse existimaret: sive aliqua dicendi facultate sum in-
structus, quæ tamen quàm exigua sit non ignoro; hanc Atheni-
ensis retardat Alcibiades, qui presentibus LL. etiam mi-
nus commodis, melius res administrari publicas, quàm iisdem
locò motis censuit. Sive deniq, experiencià quid his de re-
bus cognitum, perspectumq, habeo; Ab hâc Locrensiū me
institutum terret, qui usq, adeo veteribus LL. utendum pu-
tarunt, ut, si de Lege quis agere novâ vellet, collò in laqueum
insertò facere illud cogeretur. Quia tamen non fera, non
arbores mihi, non flumina, non rupes permovenda: Sed ho-
mines, sed pueri sunt, quorum etas mollis, & tenera in
utramq, partem, tanquam aqua in arcolâ ad præcedentē
digitum flexibilis est, in hanc pertrahendi sententiam: Ingenii
vires contra Anacharsis autoritatem rerum æquitas exstimu-
lat, dicendi facultatem contra Alcibiadis censuram sublevat
necessitas, contra Locrensiū institutum multorum in similimo
casu

casu & mos reficit, & recreat consuetudo. Quapropter
si modo, quod qua par est animi submissione à vobis peto, &
contenda, auditores, exigui temporis attentionem mihi
non denegaveritis, Orationis brevitate efficiam, ut vestra
vos pœnitere haudquaquam possit auscultationis. Nam, ut hîc
illud Pindari usurpem.

τὰ μακρὰ ἐξείπῃ
ἐγὼ καὶ μετῴμιος.

À summò reicapite principium statuam quemadmo-
dum Veteres LL. quæ à summò sunt bonò, ac rursus in
idem refluunt, latores earum inventionis esse divini mune-
ris arbitrati, quod est à Diodoro Siculo annotatum, in diver-
sorum Numinum vim referre sunt adorti, Zoroaster Ba-
etricianis, Persisq; LL. tradens in Oromasin; Trismegistus, seu
Minas, ut volunt alij, Aegyptiis in Mercurium; Charon-
das Carthaginensibus in Saturnum; Draco & Solon Atheni-
ensibus in Minervam; Maumeth Arabibus in Gabrielem; Zamolxis
Scythis in Vestam; Plato Magnesiis, & Siculis in
Apollinem; Minos Cretensibus, in Iovem: Ita constitui-
onis novæ hujus vim omnem ad beneficum illud, & clemen-
tissimum NVMEN, ad Illustriss. HEROEM, IOHAN.
CASIMIRVM, P. nostrum laudatissimum dico referimus.
Hîc verò, auditores, Vlysseam mihi aliquam, & Nestori-
am dicendi vim exopto, atq; quod Poëta solent,

— Centum mihi linguas, oraque centum
Expeto, quibus, quod volo, de tantò Principe dignis verbis
perorem! Ec quantum est, quod Celsitudo ipsius sumtuosis-
simum, magnificentissimumq; COBVRGI Gymnasium
vera, & in verbo DEI fundatæ Religionis templum &
fundamentis excitavit; Virtutum, artium liberalium, &
linguarum Cardinalium officinam, domicilium exstruxit;
B Ecclesiæ,

Ecclesia, atq; Reipubl. seminarium, praesidium, ac ornamen-
 tum instituit, dotavit, aperuit, eoque FRANCONIAM
 nostram decoravit? Ecquantum est, quod non quales in
 triviis obvii, & litteratorum Vulgò in viis fluunt; sed tales
 magno conquisivit, precio, vocavit praefecit Gymnasio Viros,
 qui si non omnium clarissimi, certè in Germania, ne aliis dicam
 nationibus, & populis, ob singularem, & ultra hominum pro-
pè eruditionem quam plurimis sunt clariores; à quibus vitæ
 humanae ad salutem informatricis Theologiae, gubernatricis
 jurisprudentiae, conservatricis Medicinae principia; Philoso-
 phiae verò fundamenta, etiam in his ejus incunabulis fideliter,
 & argute, quod cum laude haecenus publicatae Disputationes
 ostendunt, proponuntur. Ne dicam alios; quotusquisq; est,
 qui IOH. GERARDVM Th. D. eximium, Heliburgensi-
 um Superintendentem, & inter primos illius Inspectores non
 ultimum non admiretur, non laudet, non veneretur? O Vi-
 rum! ô doctrinam! Hujus honoris causa recordor; quamquam
 non ignoro ipsum pro sua, quâ incredibile est modestiâ, vel hanc
 ipsam honorificam mentionem vix aequo animo laturum. Inge-
 niû ejus aestimamus? non aliter possumus, quam à dotibus, penè
 dixerã, planè divinis. Eruditionem? non nisi ultra annos, &
etatem metimur. Iniqui autem, & ignari humanae conditio-
 nis simus, si Annularum LL. tenaces, indolem, virtu-
 temque omnem temporis limitibus concludamus.
Quemadmodum fruticem interdum fructu latum, ac flori-
dum; arborem contra proceram, & vetulam, infelicem, &
cassum eodem: Sic raro in Pueris Virum, in Viro puerum vi-
demus:

“ Φύονται δὲ καὶ γέοις
 “ ἐν ἀδράσι πολιαί
 “ θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἀλικίας
 “ ἑσικότα χέρον,

ut Dircaei Cygni cantum hic inseram; in juvenibus etiam ca-
na nascitur sapientia.

— Virtutibus annos
A Etas antevenit saepe. —

Erramus, auditores, erramus, si virtutis, quam aetatis cur-
sum tardiolem existimamus. Mihi ipsi os sanguis, animum
puer occupat, dum haec de tanto viro, ab omni ambitionis
vitio plane alieno dico, & dico tamen; sed non nisi publicae
gratulationis causa. Hunc tibi, Ecclesiae, Principi, Pa-
triae o DEVS diu saluum presta, serva diu incolumem &
Quid AND: LIBAVIVM designatum ejusdem, voca-
tumq; Rectorem, utriusq; Medicinae peritia, humanio-
rum omnium, linguarumq; usu, rerum divinarum studio, Poë-
seos excellentia, etiam extra Germaniam magnis omnibus
magnum virum dicam? meum illum inter meliores homines
quondam DEVM, quid, inquam, quid dicam? Hoc nimi-
rum, quod jure debeo, & possum bona ipsius cum Venia
omnino dicere.

Absq; hoc fuisset, arcana Chymica artis mysteria etiam
num invidia tenebris, & caligine condita, atq; sepulta
laterent.

Ne argutum, & acutum illius laborem contra ineptam
Iesuitarum in Colloquio Ratisbonensi insulsa, ac mon-
strosa forma disputationem recorder; quantum, DEVS bone &
& quam abstrusa, ac recondita sapientiae illud Chymico-
rum mirabilium, sic verè nomino, opus est, nupero factus
non sine multorum stupore, omnibus verò Medicis qui sunt,
qui erunt emolumento editum incomparabili? Hebron,
sive Mambre Patriarcharum schola rebus divinis olim cla-
ra: Berytum juris maximè studio nobile: Serapium Alexan-
dria medica facultate laudabile: Athene Philosophiae, & di-

sciplina nomine celebres, & ob id ἡ μάδ' ἑμὰς à Thucydide,
à Pindaro ἡ μάδ' ἑμὰς, autore Cael. Rhodigino, appella-
ta: singula nimirum ista civitates sunt ob singula studia no-
bilitate. Ecqui unum his omnibus instructissimum Cobur-
gum non celebretur, non laudetur? ô felicem! ô beatam tan-
to thesauro nostram Franconiam! Vtinam tanto bono ad
DEI laudem, Ecclesie, Reipubl. salutem, immortale Illustr.
P. decus, & gloriam, gratissimâ semper mente in otio, &
tranquillitate diutissimè fruaris! Ecquantum est, quod ejus-
dem celsitudo hanc nostram Scholam additamentò stipendio-
rum adauxit, & locupletavit munificentissimo? Ecquan-
tum quod novis adificiorum structuris, ruinosis, & vitium
facientibus, cum I. C. loquor demolitis eandem deinceps plena
labore, pleno fervore adauget, & locupletat? Optimè nimirum
intelligit Dux optimus, ἡγορήν, καὶ τὰ ἀδύνατα χεῖρην σὺ λω-
μὲν φέρεις ἀγαθὰς ἐπιποιεῖν, ut DEUS ille Philosophorum
Plato. IV. de Republ. vel ut illud olim doctrine, eruditionisq;
miraculum Erasmus ait, Reipubl. spem omnem, tan-
quam in segete messis, in recta, liberalique juventu-
tis educatione positam esse, adeò, ut quemadmodum

— Immissis floribus austris

Disperunt fructus: Itaprocellosa vitiorum tempestate cor-
rupta juventute à fundamento usq; exciditur Respubl. huma-
na societas dissipatur, commercia intereunt, ipsi tantum non
planè brutescunt homines. Idem & Mitylinai intelligebant:
Idcirco sociis suis, qui à fœdere desciscebant, hanc solebant
pœnam imponere, ne liberos suos docerent litteras, nec ar-
tibus liberalibus informarent, omnium suppliciorum hoc gra-
vissimum judicantes ἐν ἀνομίᾳ, καὶ ἀπιστίᾳ, Aeliani verba
sunt, in inscitia, & ignorantia vitam transigere. Juventu-
tem verò absq; Scholis, qua, ut veterum quidam præclare
scripsit,

Scripsit, fedes religionis, artium, ac linguarum officina, virtutum, omnium domicilia, educari tam non posse, quam poni edificium absq; fundo nequit, manifestissimum est. Et quidem publicis: aut enim publica sit, aut nulla Schola. Quid enim utilius, aut necessarium quid magis esse potest, quam ut qui sunt erudiendi, erudiantur publice: qui non eam ob causam instituuntur, ut domi quasi clathris quibusdam inclusi, sibi quod ajunt, suisq; Musis cantant, aut tanquam Monachi extorres ab hominibus degant: Verum in luce, atq; sole aliquando versentur, interesse comitiis, obire legationes, verba publice facere, prestare alia queant, qua ad res capessendas publicas, nomen acquirendum, parandam auctoritatem necessaria videntur.

Nec tantum hæc erga tam liberalem, & magnificam Scholarum, litterarumq;, & artium propagationem Illustriss: P. ac D. nostrum clementiss: permoverunt: Permoverunt & alia. Noluit ipsius Celsitudo ullo Rege, ac Principe in hoc propaganda Religionis, veritatisque celestis studio esse suâ inferior curâ, & sollicitudine. Ingenia, & artes T. Vespasianus fovit, & teste Suetonio, è fisco Grecis, Latinisq; Rhetoribus annua centena constituit? Constituit & fovet etiam Illustriss: P. Ioh. CASIMIRVS. Eruditissimorum quorumvis virorum admirator Vlpianus Trajanus extitit: Et vel patronus etiam talium extat Illustriss: P. Ioh. CASIMIRVS. Lotharius Saxo, Irnerio doctore, qui Iuris Lucerna dictus est, Iurisprudentiæ studia propagavit? Et Iuris, & Medicina, & Theologia, & Philosophiæ studia propagare annititur Illustriss: P. IOHAN: CASIMIRVS. Vt domestica quasi exempla Saxonæ DD. ac Romani Imperij Electorum, quos honoris, & grati animi causa nomino, prater-

præteream, ; FRIDERICI. I. à quo Lipsensis, FRIDE-
RICI III. à quo VVittenbergensis, IOH: FRIDERICI
I. à quo Ienensis, innumerabilum propè hominum doctorum
altrices, alumna Academia fuerunt creata, atq; constituta,
magnificèq; præterea dotata, multisq; Privilegiis, & hono-
ribus, ac creditibus haud exiguis aucta, & locupletata, & LL.
bonis, æque ac moderatoribus bonis, viris religiosis, & omni
doctrinæ genere eruditis mirum in modum exornata. Hasce
paternas, & avitas virtutes Illustriss. P. & Evergeten no-
strum benignissimum, quamquam Fortunâ heu! dissimili,
interim felici, & prosperâ, abundè est, imitari, & à majorum
Pietatis, virtutisque linea non abiisse. A tam bene-
fico, & salutari quasi numine, à tam pio, & clemente, atq;
adeò pro posteritatis salute tam sollicito, atq; curis affecto P.
ac Patriæ parente novæ Constitutionis hujus, atq; LL.
vis, & robur omne omninò dependet. Cum enim Schola
nostra & classium, & lectionum, & Præceptorum nu-
mero esset beneficiâ, & liberalitate Celsitud. illius augen-
da, & locupletanda; novo quoq; ordine, constitutione nova,
& novis quibusdam. LL; Ubi enim novus grex, ibi &
nova lex; opus fuisse, ecquis est, qui non videat? iisq; tali-
bus singulis, quæ Coburgensi Gymnasio subordinata, &
succenturiata quasi forent, ut ex hoc nostro qui vellent ad illud
progredi, majori cum studiorum suorum & fructu possent, &
emolumento. Quæ cura, qui labor horum omnium con-
stituendorû cum propositus, & oblatus mihi esset, qui tum per
duodecennium, & paullo ulterius, atq; adeò Veteranus propè
Rector, & veterum Scholæ LL. ac classium, & Præceptorum
conditiones, atq; prælectionum, exercitiorumq; ordinem, ac
seriem optimè perspectam, cognitamq; haberem, aut habere
omninò deberem: Recusavi primum, & seriò recusavi: Immo
verò

verò, dicam enim quod res est, vel impudentius etiam resti-
ti demandantibus hanc mihi provinciam: Egone in hac ali-
quid ut mutem Schola, inducar, qua per septuaginta, & ali-
quot annorum spatium, ac intercapedinem suis feliciter usa
LL. plures omnium ordinum viros præclare doctos ex se
emisit, quàm Equus Trojanus.

— Partu nocturno Grajugenarum,
Vt ex Lucretio loquar, milites? Vt veteres abrogem, ut fe-
ram novas? nondum mente, & animo excidit meo Cl. V. M.
IOH. DINKELII heu! olim nostri consilium novo hinc
Rectori mihi Coburgo suggestum: Tam diu, scribentis, per
te Schola florebit, quam diu ejusdem Leges. Ecquæ E.
inquam, Scholæ erit autoritas, si hæ mutantur? Eadem opi-
nor, quæ in Purpura simiæ. Pausania illud vos meminisse
putabam, qui interrogatus à quodam, eccur apud Sparta-
nos LL. priscarum aliquam mutare nefas duceret, respon-
dit id, quod cordati omnes statuunt, & crebris usurpant ser-
monibus: Legibus in homines, non itidem horum
in illas esse autoritatem debere. Et si quamplurimas
legimus constitutiones lapsas interiisse hæc maxime de causa
quod negligentius tantum cultæ fuerint: Ecquid, queso vos,
Scholæ, & huic Scholæ accidere posse conicitis, si LL. ejus lo-
co moveantur? His, & aliis pluribus pro Veteribus contra
novas tanquam pro mænibus dimicavi: sed dimicavi tan-
tum. Victus enim eorum sententia, quorum apud me
plurimum semper valuit, & valere debet autoritas, rem diu
mecum, multumq. ponderatam, quod non ignorarem aura
quovis dignam esse in crastinum dilatam deliberationem, nec
quicquam salubribus tam officere consiliis, quàm festinatio-
nem, tandem aggressus, ad eam propè & Latinam, & Ger-
manam faciem negotio non admodum exiguo designavi, quæ
paullo

paullò post vobis publicè exhibebitur. Designavi, inquam, atq; Clariss: amplissimisq; D D. Gymnasii Ephoris & inspecto-ribus proposui. Placuit Delineatio, nisi quod in Germana quadam ad fori speciem, & pulcritudinem fuerint, in Lati- na pauca immutata. Purè, terseq; in tabulas quasi depictam, descriptamq; Illustriss. P. & nutritori nostro munificen- tissimo illi transmiserunt: à cuius Celsitudine, ejus enim id muneris proprium, rata firmaq; jussa ista Constitutio, Ducaliq; Typographia edita, & huc remissa est, gravissimo ad- dito diplomate, ut adjurata quasi eam amplexi manu Ma- gistri, & Præceptores pro debita ipsius Celsitud. sine omni admittamus exceptione, feramus sine contumacie, sine inju- ria sequamur, & ad hanc tanquam Cynosuram, ac Ly- dium lapidem totius disciplina examusim dirigamus ad- ministrationem.

Hæc, auditores, nova istius Constitutionis maje- stas est, ista novarum LL. autoritas, cui ecquis est, qui au- velit, aut possit refragari, & obsistere, nisi impius? Impius autem? Immò læsa majestatis crimini obnoxius, & tantum non planè sceleratus.

Et sanè quæ caussa sit, ob quam jure quis possit jugum quasi illarum suis excutere cervicibus, cum animadversione accurata posita, non sanguine, sed atramento scripta, quorum illud de Draconis LL. Solonem dixisse accepimus. Si enim illa verè bona æstimanda, accensenda sunt, quæ à recta rati- one, divinoq; numine tracta non nisi quod justum, quod hone- stum, quod utile habent propositum, ecquæ his ipsis aut justi- ores, aut honestiores, aut utiliores esse unquam pote- runt? Justæ? quæ & divini, & naturalis sunt juris præ- cipiunt: honestæ? Imperant virtutes; prohibent vitia: Utiles? Rerum laudandarum omnium in omni vita, in ordine,

ordine, & statu omni sunt fundamentum. Si aqua ex Iso-
cratis pronunciato, quae faciles cognitu, inter se consentien-
tes, lites, & controversias pariunt paucissimas, finiunt citò
exortas; nostrae profectò erunt omnium aquisima. Cogni-
tu faciles? Plebejo enim, & familiari omnibus promulgatae
extant idiomate: Consentientes? tricosum in his nihil; plana
omnia: ad unum omnia collimant scopum; nihil declinat ab
eodem, aberrat nihil. Lites, & controversias pariunt nullas;
suspicionum fluctus tollunt; molestiarum multitudini meden-
tur; quieti consulunt, & tranquillitati; tumultus avertunt;
praecavent odia; vitant similtates, suam cuiq; classem de-
stinant, suum cuiq; admetiuntur laborem. Si deniq; lauda-
biles, quae, ut Plutarchus monet, cavent, ne quod trito dici
proverbio solet, sanguis eliciatur, si nimia instituat
emunctio, certè has ipsas habemus laudatissimas. Vitia pru-
denter corrigunt, moderantur in rebus singulis duriuscula,
acerba leniunt, ac mitigant defectus complent, tollunt ex-
cessus, Praceptorum, Magistrorumq; autoritatem tuentur,
& vindicant à contemptu. Praeclara, me CHRISTE! Con-
stitutio, & LL. DE I hostis, bonorum morum, & discipli-
nae osor, virtutum inimicus, patronus vitiorum, boni publici
adversarius sit, negligentiae latebras, atq; fenestram malitiae
querat, non pro Legibus; sed facibus, non pro Constituti-
onibus; sed destructionibus habeat necesse est istis qui se-
cunq; opposuerit. Mirum, auditores, si illorum haec ani-
mos non tangunt, non afficiunt, quibus potissimum dicuntur.

Qua aequitate, quo commodo, qua honestate, quo
jure condita sint LL. nostrae amplius non dico; sed qua
necessitate, paucis multorum causa addo. Oculorum, quae so-
vos, clariss. ac humaniss. auditores, mentisq; aciem non-
nihil circumferte ad mores quorundam, probos enim, &
modestos

modestos semper excipio, respicite, nonne depravatissimo
isthoc, corruptissimoq; seculo & ipsi sunt depravati, & cor-
rupti? An non nova sese quotidie plurima offerunt vitia, qua
ut morbi novinova postulant remedia? De Lucio Ne-
ratio homine egregie improbo, & vecordi Agellius hoc refert,
quod oblectationis causa obvis manus sua palmâ os verbe-
rarit, aut inflixerit colaphos: Secutus eum sit servus cru-
menam assibus plenam portans, ut secundum. XII. Tabula-
rum LL. asses XXV. iis numeraret, quorum os depalmave-
rat, sic enim Agellius loquitur. Hac petulantia movit præ-
tores, ut hanc post abolerent Legem, & in injuriis estimandis
recuperatores sese daturus edicerent. Ita projecta quorun-
dam Neratorum petulantia, effrenataq; audacia, & insolenti-
â effectum est, ut veteres quidem non fuerint antiquata:
sed novis vitiis nova LL. malis moribus bona LL. constitu-
enda, & pœnis propositis corroboranda.

Daremus petulantibus licentiam, indomitis frena la-
xaremus, gulonibus indulgeremus pocula, superbis luxum
novitatis, & peregrinitatis, in vestitu concederemus, Pra-
ceptores deridentibus immunitatem largiremur, brevi
cujusmodi Scholam essemus habituri, videremus. Experire-
mur nimirum, quid esset, malum nascens non opprimere,
sed lentè nimis, remisseq; ferendo confirmare.

Quidenim, quaso vos auditores, illi quorundam
circa aures in gradûs aut fracti, aut dependentes capilli,
ille, inquam, plume, & lendium niduli quid sibi volunt? Ab
occipitio rasum, à fronte setosum, instar hirci esse, quo quid
aut fœdus, aut monstrosius? Laxo, & demisso collari vel
scapulas etiam integere multum erat ingenue adolescenti:
Duplicis verò ordinis rotâ quasi collum vincire, id verò ni-
mium, & tantum non planè scurrile. Carnificum olim
proprium

proprium erat alterutro brachio semper exerto ad cadendos
canes incedere; Idem sibi cum istis hodie commune faciunt
non pauci, qui per plateas nisi exerto brachio non volitant,
nec navigant per forum nisi semivelivolo pallio. Caligae
ista follicantes, & tympanitica molitorum nuper orna-
mentum erant egregium; & facta nunc sunt nonnullorum de-
honestamentum. Vt reliquum vestitum taceam, qui plures
interdum colores evariat, quam Protei forma. Tales in pu-
blico videas, pedibus alatis Mercurios, caligis molitores,
exerto brachio carnifices, pallio stratiotas, collaribus scur-
ras, capitis rasurâ Procottas esse omninò putes. ô metamor-
phoses! ô monstra! DEVM immortalem, qui moribus de-
formes, inscitiâ, turpes turpiores ipsos se, deformioresq; ista
reddere metamorphosi! Quae dementia est hominem adole-
scentem, ingenuum, suum inter eos professum nomen, qui
Musis, qui bonis moribus, qui ipsis Spiritus Sancti sacris ini-
tiati sunt, istis se plusquam in humanis devenustare vitiis?
Qui furor non Musae, sed Baccheja; non Lycaja; sed Gynace-
ja sectari, & tanquam in vagis montium recessibus Faunos,
ac Satyros immani, & plusquam venatico clamore per pla-
teas nocturno tempore debacchari? Quae insania sua proter-
vitas, & petulantiae sagittis scopum Praeceptores facere,
hunc pedum exlosione, tumultu illum excipere; hunc pa-
lam, & sine rubore deridere, isti responsare, & in faciem
resistere, omnes aspernari, & contemnere? Si lege sua
DEUS Deut 12, 18. contumacem, & protervum
filium ad lapidationis supplicium damnat, atque
ex medio in universi populi exemplum auferri jubet;
Eccui supplicio verisimile est rebellatores istos, & istos cal-
citrones à iustissimo omnium scelerum vindice reservari?
Obsecro vos, adolescentes, si tales vos vestri parentes cernât.

& his studiis deditos, & istis moribus præditos esse, an-
non accusaturos fortunam, & miseram, ac calamitosam se-
nectam, suam deploraturos putatis, quod tantos dolores, &
molestias ex vobis tantas capiant. Illorum verò aliquis, si
præ mœnore loqui possit, has cum lacrimis querelas sit effu-
surus?

Fili, cur ejusmodi te video ornatu? quid istæ
sibi versicolores in soleis alæ volunt? quæ astrigmen-
ta, & vela circa genua volitant? Cur saccis istis,
istis follibus pro caligis uteris? Cur isto infani, ac
furentis gestu, & specie incedis? Te non Musis, sed
flagitiis invigilare; non vereri, sed deridere, Præ-
ceptores audio. Ubi mea de te spes, & expectatio
ubi? ubi sudores. & labores in te mei?

In singulos dies vix tantum corradere, de meo de-
messo comparcere, fraterculis, & sororculis tuis detrudere
vix tantum potui, quantum tu tam turpiter, & flagitiosè
insumsisti. ô dedecus! ô scelus! Quin adversus tuam istam
protervitatem, levitatemq; istam, cælum & terram accla-
mo! In primis mallet ego aquis periisses, quàm talem te vi-
dere, audire de te talia! Utinam aut tuâ, aut meâ ego esse
morte jam desinerem! Hac, & his similia ille diceret, &
lacrimis, singultuq; gemitûs, ac dolore plura loqui prohibe-
retur.

Agite ergò, vos ô mei discipuli, à protervitate, &
contumacia ad pietatem, à vitiis istis ad virtutem redite;
scurriles istos, & barbaricos in ornatu, gestuq; mores ex-
uite, dignos aetate, & persona vestra induite. Corrigit jam
vos novâ istâ constitutione aquis mentibus perferte.
Si Præceptoribus non vultis, at saltem rectæ rationi; si huic
non potestis, at DEO, & Illustrissimo P. obsecundate quorum
autoritas,

autoritas, nisi presentissimâ pœnâ, non contemnitur.
Quid facilius est, quàm teneros adhuc animos ad discipli-
nam, & virtutes componere? Sophoclem admittite:

γέροντα ὀρθῶν Φλαῦρον, ἔς νέῃ παῖσσι,

Si Græca, vel si Latina mavultis:

Irritum est erigere senem, qui juvenis cecidit-

Et audite Senecam: Difficulter reciduntur vitia, quæ
nobiscum creverunt. Talia, auditores, si in quibus-
dam diutius ferremus, annon totum ipsi cætum iremus
perditum; In Schola barbariem, non disciplinam colere-
mus; non homines, sed monstra educaremus, pusillos offen-
deremus, per nos improbi probis, modestis impudentes in-
sultarent, vitia virtute opprimerent, illorum exemplo
rem toti urbi cum primis pestiferam & perniciosam indu-
ceremus.

Intelligitis igitur non temeritate; sed extrema ne-
cessitate, non audacia; sed summa prudentia veteribus
novas fuisse LL. succenturiatas. Si, quæ contra spargi,
& obtenebrare possint, affanias, & nebulas compendio
intellegeritis, perorabo.

Cum non pauci pro antiquitatis velut aris, atq; focis,
autoritate pugnandum censeant, vetustissimum quodq;
optimum, verissimumq; retinendum contendant: mori-
busq; antiquis rem stetisse Romanam ex Poëta affirmant:
nonnulli Zaleuci Locrensis, Charonda Thurij, Dioclis Sy-
racusani, Archidami, Lycurgi, aliorum citent exempla,
qui suæ existimationis jacturam facere, liberorum, alio-
rumq; sanguine junctorum, immò & suam in discrimen
conjicere salutem maluerint, quàm LL. quid detrahere
autoritati: Multi in Ictorum decretis presidij arcem
collocent, qui in solennibus, ac receptis nihil temerè

immutandum esse statuunt: *Forse est, invenientur, qui novam hanc ex Lege, & titulo supervacui accusabunt, culpabuntq; Constitutionem: Sed culpabunt, & accusabunt tantum.*

Nam quod ICTorum decreta probant, LL. latorum admirantur constantiam, primos Romanorum mores laudant, antiquitatem venerantur; id quidem meo quoq; calculo faciunt jure: Sed omnia, quod proverbio dicitur, usque ad aram. Equis enim usq; adeo mentis desiperet, ut antiquitati tanquam Sirenum scopulis adhaerescens, qua veteribus non posset, novis LL. conditis vitia nollet averruncare.

Qui non vetat peccare, cum possit, jubet, Agamemnonis de hac re apud Senecam est lata sententia. Nec tanti antiquos Romanorum mores, aut LL. latorum, ac ICTorum decreta aestimare nos par est, ut quasi in Persarum Regno capitale opinemur in istis si vel tempus desideret, vel publica postulet utilitas, quicquam mutare, aut, quod constitutum semel, loco movere.

Quo plura enim, majoraque indies emergunt vitia, hoc magis viris bonis, & cordatis est novis de LL. cogitandum.

Primas Atheniensem à Theseo praescriptas LL. Draco sustulit: Draconis improbavit Demeades: utriusq; Solon abrogavit. Ne abeam longius: si antiquitatis iudicio per omnia standum, admittendum nihil, nisi quod eam sapiat, cur obsecro in multis ab hac & majores nostri recesserunt, & nos recedimus quotidie? Tribus verbis, pluribus non opus, ICTi sententiam sequendam duco, qui ejusdem aetatis esse affirmat & promulgare justa, & quae vel gravia, vel commoda minus sunt, antiquare.

Interim

Interim sic LL. crescit multitudo, inquitur harum
censores? At inquam ego, ubi aliquid semper deest, ibi
nihil unquam nimium. Modum pone humanæ
nequitiae, & sponte sua LL. copia exspirabit.

Sed tamen ut plerumq; in LL. multitudine injusti-
tia viget, oritur contemptus: Ita novis istis Praeceptores
injuria, ac diffamationis nota, & labe perstringi videntur.
Bona Verba, quæso, qui tam iniqua, & infami censura
ad examen hanc vocas Constitutionem. Parce Illustriss.
P. majestati. Quæ ipsius Celsitud. placet, clarissimisq;, &
prudentiss: quibus vis viris probatur, ad tui istas LL. inge-
nij lancem examinare id verò infame, & injuriosum est.
Ictum audi, qui rationes LL. & institutorum Magistra-
tus examinandas semper esse negat, utpote, quæ à pruden-
tissimis satis diligenter excussa fuerint, & probata.

Nec ut plumbeo scommate argutaris, quæ LL. pra-
sentia amoliuntur, avertuntq;, & in futurum præcavent,
vitia, illos quibus ponuntur, reos istorum peragunt, &
damnant vitiorum: sed quæ communia sunt, ne com-
mittantur, monent.

Ecquis usq; adeo mentis inanis est, ut, cum de Parricid-
idio sapientissimus Solon Δὲ τὸ ἀλπίστον, quod non fu-
turum putaret, nullam Atheniensibus Legem tulisset, latâ
eâ, postquâ Opius patrem, matrē Malleolus occiderat, exi-
stimet, omnes, quibus ferebatur, parricidij aut matricidij
tum fuisse accusatos? ô ineptas argutias, si quis ita argutus
est! Olim Germani in fures animadvertendū severius non
censurunt, quod aut solertiam in illis probandam, aut
egestatem, & inopiam excusandam putarent.

Posteâ verò cum nimia ista lenitate furum indies
major fieret natio, & Lex ab Impp. daretur, quæ gulam
illis

Olim apud Germanos
purè factum committentur

illis frangere iuberet, putas nè illos, qui tum vivebant, & erant futuri adhuc, istà Lege omnes vel suspectos furti, vel damnatos fuisse? si ita: Cogita quaso quis tu Lege illa vel sis, velesse possis.

At Schola corruet isto LL. rigore? sanè: Terra modo stet, nec ruat cœlum, est, quâ, & unde extrui possit alia. Nihil unquam periit disciplina, Licentia omnia. Licentia primus mundus periit, periit Carthago licentia, Roma aliquando ab adolescentibus reprehensa LL. fuerunt, quod his ipsis Licentia juventutis imminueretur, inter inimicum, & amicū discrimen nullum cognosceretur; essent eadem surda, inexorabiles, nihil laxamenti, ac venia haberent.

Hoc ipsum nonnullos discipulorum etiam movere intelligimus, ut Vatiniano, quod ajunt, has LL. odio prosequi videantur, cum fenestram his occludi malitia, frenum sceleribus injici, coerceri petulantiam, reprimi morum improbitatem vident.

Quid ergò? Hoc nimirum: Nullam juventutis disciplinam, quantumvis rigidam, esse hoc tempore nimiam posse. Id Plato non ignorabat: Ideo VII. de LL. πάντων θηρίων δυσμεταχειρότατον, ut omnes capiant Latine efferam, attendite quaso: Omni bestia intractabiliorem puerum nominat. DEUS bone! hodie si viveret, quo ex nostris quosdam appellaret nomine? Brachmanes in India Philosophos tam severâ usos disciplinâ Strabo scribit, ut τὸν ἀκροώρδου ἕτε λαλῆσαι θεμις, ὅτε χεῖμασθε, ἀλλ' ὅδ' ἐπύσαι, ἢ ἐκβάλλεσθαι τῆς σωστικῆς τῆν ἡμέραν ἐκείνην οἷς ἀκαλασάγοντα, & hoc latine dicam, si discipulorum quis loquendo, screandoq, & exspuendo
inconti-

incontinentiorem se praeuisset, toto die fuisse exclusum.
Quid nostris facerent, probos & continentes rursus ex-
cipio, qui non locutione, sed garrulitate non screatu,
sed tumultu; non sputo, sed ludibrio sunt incon-
tinentissimi? Quotusquisque hanc Lege Schola
non esset excludendus? Eat ergo qui has ferre leges
non vult, non potest. Patent fores, via patent, pa-
tent porta. Verum non Schola hac, & Gotha tantum,
sed mundo, & rebus humanis illi erit omnino excundum,
qui exire leges valuerit. Stare sine his nec domus ulla,
nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec
rerum natura, nec ipse mundus potest, ut de suo hoc mihi
Cicero largiatur.

Quapropter, optimi adolescentes, di-
scipuli carissimi, quas à DEO Opt. Max.
LL. conditore: ab Illustrissimo P. nostro,
DEI imaginem, & personam in terris
sustinente, à necessitate, quâ, ut Tragicus
habet,

— ἵδεν ἰαυὴ πάλιον,

Ab ipsa accipitis honestate, & in vestrum
accipitis emolumentum, ad salutem acci-
pitis, & accipitis æquissimas, omnium ve-
strarum actionum, studiorumq; governa-
trices, expultrices vitiorum, virtutum
D altrices,

altrices, & factu facillimas accipitis, agite, presentibus, & aequis animis excipite, sustinete, acceptis, exceptisque, sine offensione, & sponte vestra parete, obedite.

Apud Cretenses libera conditionis pueri L. L. non citra melos concinnatas, ut ex Musica voluptate affecti ediscerent proclivius, memoria commendabant, ne quandoque injuste si egissent, in inscitiam, crimen refundere pergerent.

Ita vos, O MEI DISCIPULI! ne ab illarum linea, quantum fieri humanitus potest, unquam abeatis, in conspectu quotidie habete, evolvite, recordamini.

Paterni erga vos animi inductione, & summa moderatione examussum nos illas, DEI benedictione, exequemur. Quod si feceritis, in viros DEO gratos, Ecclesiae, & Reipubl: salutare, vestrae familiae honorificos, vobis ipsis utiles, laudabiles omnibus crescetis, adolescetis, evadetis: Eritque de quo sibi Illustriss: P. & Dn:

*Dn̄: noster clemntiss: gaudeat, late-
tur magistratus, Praeceptores & nobis &
vobis ex animo gratulemur, atq; DEO
summo, & unico omnium Patrono, ac
conservatori seculis futuris omnibus
laudando, humillima animi de-
votione gratias aga-
mus.*

DIXI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DIXI

52

9

II
D

Et

S
Fu



96 1741

ULB Halle 3
001 511 688



Sb.

VD17 Mc





NO
LUST.
NI GY
CONST
ORIGINE,
ET V

SOLENNI I
tior
V.
Anno CHR

â M. ANDRE
*Cum Gratia ac Privilegio
nia, ac Sen*

JENÆ Typi
Impensis Henrici I

